



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus, Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia - Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

Bona, Giovanni

Parisiis, 1678

§. 12. De aliis quibusdam ritibus Ecclesiae Latinae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9929

§. XII.

De aliis quibusdam ritibus Ecclesie Latinae.

I. **P**Ræter hætenus descriptos ritus de aliis quoque Latinis Ecclesiis agendum foret, quæ & proprio utuntur Breviario, & singulari inter cæteras religione, ac dignitate præminent. Multi enim Episcopatus in Gallia, & in Belgio sunt, multi in Germania, & quidam etiam in Hispania, qui proprio ac peculiari ritu Domino deo laudes persolvunt. Sed quoniam ab his quos jam descripsimus, maximè autem à Romanis vix discrepant, tum in psalmodiarum distributione, tum in numero lectionum, tum in ipsa Officii methodo, ac ordinatione, superfluum existimavi singularem de illiustrationem instituire. Nam præter quædam minutiora nihil novi in ipsis occurrit. psalterii divisionem eam Gallicæ Ecclesiæ ac Germanicæ, itemque Belgicæ, ac Hispanicæ sequuntur, quam Romanâ tenet Ecclesia, exceptis Psalmis qui horæ primæ deserviunt, in quorum distributione cum eo ritu ferè omnes conveniunt, quem Officio Prædicatorum, vel Lugdunensis Ecclesiæ supra assignavimus. Ecclesia Bisuntina quæ est Sequanorum Metropolis, habet hoc proprium, quod in secundis Vesperis solemnitatum nec Capitulum, nec Hymnum dicit, sed pro Capitulo *Alleluia* cum Versu, pro Hymno quamdam profam modulatur: in magnis item solemnitatibus bis Canticum *Magnificat* repetit, variis intermixtis Antiphonis. Tolitani ante Matutinum recitant flexis genibus Antiphonam *Ave Regina cælorum* cum Collecta: tum psalmodias Graduales, & horas B Virginis præmittunt, exceptis festis. Sed hæc minutiora sunt, & prætermittendæ: cum notabile discrimen in sacris precibus non constituent.